DE DEMENTIA PARALYTICA.

1864

DISSERTATIO
INAUGURALIS PSYCHIATRICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

ILLUSTRISSIMI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN MEDICINA ATQUE CHIRURGIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXX. NOVEMBRIS MDCCCLXIV

1864

H. L. Q. C.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

Alexander Hertz,

POLONUS.

OPPONENTIBUS.

R. HAUSMANN, MED. ET CHIR. DR.

J. PATZER, MED. ET CHIR. CAND.

VRATISLAVIAE.

TYPIS OFFICINAE A. NEUMANNI.

PARENTIBUS OPTIMIS CARISSIMIS

USQUE AD CINEREM COLENDIS

NEC NON

VIRO

HUMANISSIMO AMPLISSIMO GENEROSISSIMO

JOH. THEOPH. BLOCH

AMICISSIMO, BENEVOLENTISSIMO, CARISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

Prooemium.

Permultae quidem enumerantur et variae formae animorum perturbationum, si vero quaedam, paralysis universa progressiva digna est, quae maxima cum indulgentia observetur, non solum ab illis medicis quibus est nomen psychopathologicis, sed etiam ab iis qui solum corporibus medentur et anatomis pathologicis.

Nulla enim animi perturbatio tantas affert et variae multationes in quam cerebri et meningium scructura anatomica ea, quam nos sumus descripturi. Adde quod in nulla alia animi alienatione tantae adsunt corporis perturbationes, quae in hac cum psychicis una esse videntur, quae perspicuae et toti cursui morbi sunt pathognomicae. Complexus autem symptomatum omnium qui iterum atque iterum in unoquoque casu repetit, tantam praebet similitudinem morbi, ut jure cum illis qnam maxime typicis physicis morbis comparare possit. Nulla alia animi perturbatio tam vehementer in complexum psychicorum et physicorum malorum cum mutationibus materiae cerebri animos nostros vertit.

Quibus caussis factum est ut inde ab tempore Esquiroli, dementia paralytica ab eo sic dicta maximo cum studio investigaretur et perscrutaretur. Quod attinet ad hancce descriptionem, nec universam morbi indolem, nec perscrutationem nonnullorum symptomatum in vivo vel in cadavere perscribere vult, quum haecce omnia jam ab observatoribus ingeniosissimis perscrutata sint. Id quod voluit auctor hujus exigui opusculi, quod ut honores doctoris medicinae et chirurgiae rite capesseret scripsit, erat ut, nonnullos casus secum reputans, probaret veritatem theseos positae ab Illustrissimo professore, Neumanno a me semper venerando magistro, de psychiatria quam maxime merito; quae enim thesis provisorice ab eo instituta est, causis et dementiae paralyticae pathogenesi dispitutalis.

Quum enim, auctor hujus opusculi numerum casuum dementiae paraliticae demonstraverim et omnibus in casibus diagnosin elucentem redderim, mihi proposui, nonnullis casibus enarratis ut perscrutarer utrum vera se praeberet ex illis causa ab Ill. Neumann indicata, excessum in Venere esse primordium illius morbi.

Morbi historiae.

Casus I.

Augustus N., vini ardentis fabricator, quadraginta annos natus, parva quidem statura, sed robusto corpore, latis humeris, beneque constituto pectore, normali est cranio. Heriditabilem non affert indolem animi perturbationis. A patre suo haud parvas hereditate accepit opes, qua per longum tempus diligentia atque industria magnopere augebat; nihilominus tamen N., qui undique avarus cognebatur, tali modo perexit vitam, qualis ne proletario quidem pauperrimo erat digna. Unicus officinae suae consiluit, isque unus omnes servavit hospides, ipse solus praeparavit omnia vini ardentis genera, is erat, qui, nullo adjuvante, officinam in dies ornavit; nunquam autem sibi praebebat gaudium quoddam minanum, quin etiam nutritiam correspondentem opibus tuis. Quid igitur mirum, quod omnes homines consuetudinis suae admirabantur, quod N. inde ab paucis diebus fiebat quam maxime serenus, et quod magis etiam omnes admiratione afficiebat, erat, nostrum N. alioquin indulgentem diligentem, avarumque nunc subito officinae suae minus praeesse, per totum diem, omnibus rebus neglectis, pervagari, omnes suos affines sua sponte quam optime quum pecuniam repelleret, servare, atque omnibus res maximi pretii donare, ita ut avarus

subito fieret luxuriosus atque nepos. Quae omnia jam initio anni 1863 elucebat; qui ei circumdabant tantas res haud refutabant, quoniam minime erant religiosi, itaque N. esse animi insanum, confiteri noluebant. Accedebant ad has perversitates animi permagnum desiderium opponendi, quod interdiu ad eum gradum maniae se protraxit, ut eo tempore immensis animi desumptio eluceret. Nunc denique et medico quodam illius urbis quaerebatur, quid esse faciendum. Ab illo comperimus, omnia supra memorata symptomata usque ad Majum mensem anni 1863 perpetue crevisse, aegrotum valde obliviscentem et judicii impotentem esse factum, hunc statum incontinue esse abruptum ab maniae periodis, quibus durantis vivendi modum aegroti ex infantis perversum et clamitantem esse redditum. Praeterea luce clarius se ostendebat infirmitas musculorum et omnes motus sinistri, nominis erant similes. Mense Maji subito omnia illa symptomata mitiora se praebebant, maniae saltem paroxysmata rariora fiebant, musculorum affabilitas cedere videbatur, tranquillus enim fuit aegrotus. De spatio ab hoc tempore usque ad initium mensis Junii anni 1864 nihil certi per alienos nobis nunciatur, id vero confirmatur, nonnullo tempore interjecto alteram periodem invenisse excitationis, resumptionemque animi facultatium majorem adhuc esse inventam. Quamvis tale fuerit stadium aegroti facere non potuit quin ancillam suam quae jam viginti duos annos apud eum versabatur in matrimonium duceret, jamque ter in eglisii in publicum prolata erat pronuntiatio matrimonii, quum consanguinei aegroti eum in instituto insanorum Pöpelvitziae prope ad Vratislaviam ab Ill. Neumanno recipiendum optabant. Acceptus jam primo die in statum maximae incidit irritationis. Furiosus verberabat circa se, initio lectum suum perfrigit et cum eius trabe focum et fenestram, cuius vitrum plus quam 1″, erat demolivit, quo modo

necesse erat, eum in vincula, quibus „Zwangsjacke“ nomen est, iniici. Ab hoc tempore cum superiore corporis parte portas feriit et tanc feroci modo muros, ut ita dicam, penetrare voluit ut eum lecto advinciri, necesse esset.

Nunc praeter hominis vires mugire coepit, rubro et minaci vultu, injecta conjunctiva omnibus corporis membris vincula rumpere studuit. Cibos sibi porrectos cupide devoravit; excrementa et urinas in lectum deposuit, minimi optans modo, quo decet, ea deponere. Postea in mugiendi locum, ferociter, sed jam clarius ut ita dicam, ecclesiasticare succedit, in quo plurimae verborum constructiones propter festinationem non absolutae sunt, postremo celeri, sed dilucido modo loqui coepit. Nunc animadverti potuimus, verba eius nihil magis quum ultra modum rerum maxime externarum aestimationem significare et opiniones eius nequaquam inter se cohaerere, neque esse secundum fortunas ipsius. Interrogatus quantae essent res suae, milia bonorum, plus quam centum milia nummorum, aurum et gemmas immensi ponderis possidere dixit. Meridiei temporis se coenare apud Germaniae Caesarem cum principibus hominibusque illustrissimis et uniuscuiusque portionem decem centum milia thalerorum constare. Cui quum esset dictum, non tantum facile esse appropinquare ad viros summi ordinis, respondit, illos principes probos esse viros quos asperni non patitur. Quin etiam quos circum se habebat trigeminis sustulit honoribus, seque iis maxime contentum esse dixit. Se quindecim milia feminarum, quibuscum quingenta milia liberorum procreavit, quos equos erudiri jussit. Conclave, in quo erat, splendidum palatium, cuius magnificentiam et splendorem descripsit, vincula, quae tulit, aurea spolia gemmisque ornata erant. Se summum ducem generalissimum et maximum exercitus medicum in-

numerabilium copiarum esse. Quae omnia praesenti tantum tempore esse dixit, nam interrogatus, quomodo praeteritum eius temporis fuisset, veritatem exposuit. Quamquam nullo ne absurdo quidem modo explicare potuit, qua ratione vini vitalis destillatorem generalissimum fieri posset et quod esse non posse contendenti „schadet nichts" respondit, tamen interrogatus qui vini ardentis machinationes accidant, claris et cohaerentibus verbis exposuit. Cogitationem alicujus rei informare non potuit, nam rationem non potuit disjungere a fine, caussam et effectum dijudicare nequivit, memoriam autem, quae rebus praeteritis erat genita, aderat et, ut ita dicam, logica utebatur conjunctione.

Paucis diebus intermissis omnia hujus irritationis symptomata evanuerunt; aegrotus tantopere tranquillum se praebebat, ut vincula amoveri licuerit. Incidit autem in statum, qualis est primae aetatis, et simplicissimi judicii impos, nec gaudebat nec dolebat cum aliis; minimi ejus intererat, quid esset novi, edendi solum habebat desiderium. Id autem tantum in eo inerat, quantum raro vidimus majus, nam omnibus rebus, quae ad edendum ei videbantur apta potiebatur, quin etiam vi arripiebat tanquam bestia esuriens, quum pabulum refutatur. Loquacitas et cupiditas se jactandi, permagna adhuc est, omnia quae ei circumdabant nimis effert etiamnunc, imaginationes autem ei non adsunt tanta celeritate, quanta in stadio excitationis; numeri praeter naturales minores fiunt, nihilominus tamen permagni, pro anterioribus minimi. Luce clarius videri potest, fictiones maximo labore effici. Quum de itineribus suis narraret, pauca pronunciabat nomina urbium re vera existentium, deinde autem magnum numerum recitabat nominum, quae ipse fingebat et composuit ex syllabis male et licentius conjunctis, ut „Schingschangschong" etc. Quodsi etiam nunc polygamiae favebat, non plus quam quinqua-

ginta duas habuit feminas in matrimonio. Libenter ambulabat in horto, omniaque sustulit e solo, parva terri particula, parvos lapides, testas ovorum, quas omnes res pretiosas ducebat gemmas nominibusque afficiebat superiori modo. Sicut antea quam celerrima imaginatione, nunc optationibus desideriis utebatur; at nullo modo nunc erat ferox omniaque sua optata praetervolantia. Eo casu solum, quum prohibitum erat, quo minus acciperet quid voluisset, ut ita dicam, quum nutrimentum seu lapis parvus seu vestimentum ei eriperentur, furibundus et violentus superbusque fiebat, parva quidem spe vana adductus mitigatus fuit saepenumero.

Quod attinet ad corporis conditionem, imbecillitas et rusticitas elucebant, quae se praestabant minus in vehementibus et simplicibus motibus, ut in ictu, jactu, quam in complicatioribus, quae majorem petunt dexteritatem et tutitiam; incessus erat vacillantis, paucis gradibus factis collabebatur, in terram flexus; vestimenta ei indui necesse erat, quod ipse hoc efficere non potuit. Scriptura aegre legi potuit; mutata lingua erat quam maxime haesitans, quamquam in stadio incitationis facile expediteque garriebat. Appetitus quam optimus, nutriendi status et omnes organi functiones normales. Adduci autem non potuit, ut defaecationem faceret et urinam dimitteret extra lectum.

Hocce tranquillitatis stadium in posteris mensibus saepenumero tumultantibus tentationibus intermissum est, quae quidem permultum perdiderunt acerbitatis. Aegrotus alta voce loquebatur, canebat, sibilabat, feriebat in portam, interdiu etiam custodi plagam minime mitem infligebat. Tales tentationes nec praeteriebant, quas stadium sequebatur depressionis, semper magis elucentis. Die vicesimo quinto Septembris hora vespertina quum aegrotus, in lectu sedens, cum duo custodes adsunt, coenaret, et sibi datum placentum

manderet fabulans de coqua sua, in media verborum constructione destitit, caeruleus in vultu factus, saepe manibus per aerem volavit, supinus, in lectum cecidit, spiritus nonnulla intercluditur momenta, postremo tranquillus factus est. Medicus assistens asyli insanorum rite celeriter arcessitus, eum pulsis et spiritu egentem invenit, languida Cornea, extremis corporis partibus ponderi tantum paventibus. Complures conatus eum in vitam revocandi frustra erant.

Sectio hora sedecima post mortem haec: Corpus bene erat nutritum. Rigor et livores mortui erant in tergotrunci et in extremitatibus. Vulnus venaesectionis recens erat in brachio sinistro. In angulo dextro oris et sub eodem exsiccata adest substantia sine dubio saliva conjuncta cum ciborum residuis. Fornix cranii solida, diploes loco robusta ossis massa Multum invenitur sanguinis, inprimis in posteriore parte ita ut, serrata fornice, plures ex cavo cranii unciae efluerent. Sinus sanguine turgescentes, arteriaeque omnes meningeae granulationes Pacchionicae innumerabiles. Arachnoidea imprimis in illa parte anteriore et medii cerebri majoris turbida, opalescens atque densata; in inferiorem partem versus paullatim normalem recipiens statum. Haecce eodem modo, quo pia mater a cerebri massa, substantia non deleta, detrahi potest. Substantia cerebri cineraea paluit, non emollita. Remotis meningitibus gyri hiant cerebri majoris; ventriculi haud magna seri copia impleti, omnes ceterae partes cerebri normali sunt statu.

In larynge et superiore trachea parte parva pulticulae mollis copia, sine dubitatione residua ciborum emollitorum, ut dicam panis albi, similia in ore inveniuntur, in faucibus et superioribus oesophagi partibus.

Casus II.

Josephus F. medicus Vratislaviensis quinquaginta tres annos natus, coelebs media corporis magnitudine sed bene nutritus, hilaris et socialis homo. Plures adhuc annos jam munere medici in non exigua Silesiae balnea fundus, etiam aestate anni millesimi octingentesimi sexagesimi tertii, ibi medicus erat. Eo jam tempore nonnulli amicorum animadverterunt, eum semper festinantem celeriorem in negotiis et inquietum, distentum et obliviosum fuisse, persaepe etiam fortunas et vires suas majoris aestimasse. In fine sessionis cuidam familiae prope se habitanti non parvam liquidationem nullo misit jure. Principi de P. eodem modo rationem mille octingentorum thalerorum misit, in qua dispersae tantum notae erant. Duos medicos Vratislavia S.... arte telegraphica usus, citavit ut eos de quaestionibus nullius momenti consultaret. Sessione balneae finita Vratislaviam redivit et nunc symptomata, quae supra memoravi, perlucide facta sunt. Aliena cogitare coepit, omnia neglexit, interna tanquam inquietate impulsus per totum diem ab illo ad illum propinquorum ambulavit, adiit familiares, in viis publicis continue versatus est, in cauponis cretus est. Nunc vero pro consuetudine crebrius et modum excedens, neglecto motu et gestu, tenerem exercebat sine pudore. Puellae publicae in domum suum revocavit ibique, quis est, qui possit narrare, sibi dedit ludibrio atque voluptati libidinique; quibus rebus facetias quam mirabilissimas invenit. Multa fecit impensa pecuniae inutilia, necessitate non indicata, ita ut brevi tempore omnia quae in illo balnei loco S. accumalavisset, perdidisset. Eo colloquiis mobilitas, infirmitas, varietas elucebat, animi attentio parva, magna autem cupiditas certandi; deinde autem silens invenie-

batur aut dormiens, colloquii non particeps. Paucis hebdomatibus intercessatis incessus incertus esse videbatur et inconstantior; pronunciatio verborum voce obstusa in visu suo vesani tanquam typus perversus se praebebat magis atque magis; inconstantia omnium omnino actuum crescebat augebaturque in dies. Quare factum est, ut in asylum insanorum Pöpelvitzianum, quod floret duce M. Neumanni, adduceretur vicesimo primo die mensis Decembris anno 1863. Accepti magna debilitas animi et judicii infirmitas in conspectum veniebat; ad omnia quae ab eo interrogabantur, infirmitate et quadam et incerte respondebat, lingua autem tremente et obscura; de illis fastigiis, quam paucis ante diebus perfecerat tanquam appellatus, ne minimum quidem ut se defenderet nec dixit nec dicere scivit, ullo modo pudore affectus vel perturbatur. Hoc tempore omnia quae supra memoravimus symptomata imbecillitatis musculorum aucta erant. Omnes qui aderant, ut credidit, habuit cognitos pristini temporis, vel interrogatus de hominibus bene sibi notis, se meminisse eorum negavit. Nonnullae epistolae, quas diebus in asylo scripserat, nil erant nisi conjunctio verborum; sine ulla copulatione, ita ut periodus nunquam adesset; scriptura ipsa aegre potuit legi, recte scribendi praecepta saepenumero neglecta. Ultimis Decembri diebus appetitum habuit nullum, per multas horas sedebat eodem habitu, interrogatus non respondens. Nonnullis diebus post vivaciorem se praebuit, collocutus est cum iis, qui venerant, ut eum viderent, inprimis de matrimonii rebus; fratris seu sororis filiam una cum duce quadam atque alia femina Berolinis in matrimonium erat ducturus res, fieri non posse, ut faceret, dicentibus nil respondit. Somnus appetitusque erant servati. Quamquam vestimenta sibi ipsi induere nequivit, tamen sibi multum erat, se pulchre esse vestitum. Initiis Januarii anni cognitus quidem atque

famulus pristini temporis ad eum venerunt, quorum autem utrumque non cognovit, alienos esse homines arbitratus. Eodem tempore coepit imiginationis eloqui, qui, eum laborare de mania superbienti docuerunt. Unum fratrum suum ducem esse Galiziensem alterum ministrum rerum internarum; hunce fungi bonis aegroti, quotidie quinquaginta milia thalerorum usuras in foenore posita; spatia, in quibus versaretur F., multo sibi esse minima, sibi aedificia pretiosa instrui oportere, aequales urbi Vratislaviae magnitudine. Etiam de itineribus narrabat in omnes orbis terrarum partes factis. Parvae maniae exacerbationes exstiterunt, ubi desiderio quodam erat affectus, quae res saepenumero accidit; sed sine alio labore fuit mitigabilis usque ad Majum h. a. nova quidem symptomata se non praestiterunt; quae autem aderant, majora et perspicua fiebant; nutriendi autem modus non fuit mutata, interim autem insomnia aderat. Aegrotus ab centenis milium canum ceruleorum disseruit atque de asinis, ab miriadibus thalerorum, quas summas pecuniae mox ab hoc mox ab illo sibi missas esse contendit; consanguineos non cognovit, absentium, qui eum salutem dixerunt, meminisse nequivit semper adhuc matrimonii cogitationes animo inerant, incessus semper inconstantior, facundia lingua haesitans. Vicesimo tertio matutina hora octava, postquam aegrotus inde a duobus diebus valde defatigatus infirmus atque apathicus, ut ita dicam, esse visus est, epileptica tentatione arreptus, hocque statu ferme per quatuor horas convinctus est atque tandem morte periit.

Sectio, 24 horas post mortem facta, docet haec.

Corpus bene nutritum, rigor mortis multaque mortis signa, in anteriore cranii planitie parva sugillatio, per lapsu inter epilepsiam exorta.

Inter fornicem cranii tollendam, consolidationes

atque adhaerentiae inter duram matrem et internum fornicis planum late diffusae disjungendae sunt. Non nulli thaleri magnitudine panniculi in interno cranii plano adhaerent, ita ut cerebrum his locis, quum arachnoidea adhaereat durae matri, aperte jaceat. Sinus longitudinalis in aversum sanguine impletus, etiam hic pallida coagula. Arachnoidea ubique minus opalescens, condensata, a dura matre dissipari non potest. Arachnoidea atque pia mater adhaereat substantiae cineraceae, imprimis in media parte superiorioris plano anterioris cerebri plani, ita ut inter disjungendum a substantiae cineraeae parvae partes meningitibus adhaereant. Substantia cineracea ubique emollita, sine ulla labore, cultri dorso derabilis. Totum cerebrum valde humidatum, sulci valde hiantes, gyri ipsi graciles. Ventriculi laterales impleti seri sanguinei massa parva. Substantia alba multis punctis rubris intexta, humida. Crura cerebri molliora quam altera cerebri massa. Ceterae partes cerebri normales. Alia corporis antra non aperta.

Casus III.

Guillelmus R. Vratislaviensis, 53 annos natus Caelebs, Apothecarius. Prudens in omnibus negotii sui pertinentibus litteris satis eruditus homo, praesertim peritus chemista, plures jam annos munere inspectoris officinae aquarum mineralium functus, hilaris et amoenus socius in quotidiana conversatione.

Corpus eius semper validum sanumque fuit. Quinquagesimo primo anno illius vitae personae, qui cum eo versabantur, animadverterunt, eum non sicut antea attentum et certum in negotiis fuisse. Post aliquot temporis, dum languidus piger minus attentus et prudens ut antea se praebuit, raptim maxime negotiosus erat, festinatione expedivit, se ditissimum esse dixit, innumerabiles inutilesque maximis sumptibus sibi

emit, se in matrimonium uxorum ducturum esse simulavit, et quidem simul pluribus feminis. Amicis minima in re resistentibus, quin etiam quibus cum quotidie versabatur vehementissimum se praebuit. Itaque neminem ediu latuit, statum animi labefactum esse. Propinqui ejus maxime optaverunt ut in asylo vesanorum Pöpelwitzensi reciperetur, quodque initio mensis Aprilis 1862 factum est; in recepto aegroto maxime psychïcae visiones ejus et perturbatio veri status admirabiles erant. Quamquam aetate jam provectus erat, se florentem juvenem esse excellenti corporis pulchritudine, viribus praeditum, validum, seque innumerabilia bona habere dixit. In litteris quibusdam ad sororem scriptis his fere verbis usus est: Coelestis pater meus angelum me in hoc mundo facit, quod post conditam terram nunquam fuit. Ceterum epistolae ejus illo tempore, quamquam male mutata manu erant, tamen satis clare legi potuerunt. Quamquam unaquaeque periodus litterarum ejus aliam rem pertractavit, ut omnis epistola, opus museum, ut ita dicam, variarum nullaque re cohaerentium rerum videretur, tamen verborum constructio intra periodum regularis et inter se conjuncta erat.

Quidquid respondebat in quaestiones negotii sui vel vitae rerum, mixtum tantum fuit veri et falsi; unaquaque autem quaestione utebatur, ut tandem de suae ipsius personae rebus colloqueretur, quae omnia eodem modo supra jam memorato pingebat splendida atque egregia. Nominem quoque conspicetientem motoricas actiones debilitatas esse effugit; incessus enim incertus, manus scriptura, ut jam supra memoravimus, mutata fuit indextritas inter vestiendum, lavandum, cedendum perspicua, adde permagnam quamquam breviter durandam vehementiam minima vel sine eam re incitatam. Tali modo aegrotum usque ad Sept. anni 1862 invenimus. Praetereamus temporis spatium ab hoc

tempore incipiens usque ad Augustum mensum, quo de tempore vel nobis tradit aegrotorum index Poepelvitziae, etiam nunc miserum streanum ferme vidimus, nutriendi modum bonum, appetitum somnumque normalem, defaecationem regularem Negari quidem non potest, motus esse incertos, sed extremitatum vires tantae erant, ut R. sine ullo labore ambulare posset, semper festinatione quaque impulsus. Nec ut antea secum contentus nec commodus erat aliis vel animo apertus, ut antea. Intranti dorsum invertebat, subito sella relicta; colloqui eum, adduci non potuit, interrogatus vehemens atque acerbus fuit; suum ipsum nomen aegre voluit audire; atque nomine suo appellatus, ira incensus. „Non sum, imbuit, R; dux sum Daukelmann.“ Usque ad auctumnum R. quotidie in horto ambulare solitus est solus. Inter hoc tempus vires eum deficere inceperunt magis atque magis, appetitus autem bonus fuit. Eodem tempore (medio Oct.) fiebat, ubi per duos dies intraret retentio urinae, multo labore sanata. Mense Nov. status illius R. multo fiebat infaustior, a custode enim eum vestiri, oportebat, nullo modo potuit ambulare, quia etiam standi non habuit firmitatem nisi multa opera adhibita. Et haec parva vis periit mense dec. atque R. totum diem in lectu debebat sedere.

Appetitus semper adhuc servatus; omnes corporis functiones normales. Nihilosecius maceratio processit, atque per aliquantulum temporis in pedes auxilio retentus, tremitu affectus est, pedes sine adjumento interno ita ut lectum posceret. Nunc perpetuo defaecationem fecit in lectu. Fere perpetue idem atque idem reiteravit: non habeo pedes, non habeo caput, linguam, oculos, brachia etc. Ubi necesse erat eum respondere, maledixit personae interroganti. Maxime fuit violentus utrum fuerit apothecarius, interrogatus, necne; quam rem haud libenter audierat, ita ut eum praedii

posserorem fuisse contenderet. Nominum medicamentorum nonnullorum meminerat, atque venenorum. Medio Martio a. 1864 decubitus incidit haud gravis in regione ossis sacris, qui initio mensis Aprilis sanari non potuit texto die m. Apr. R. inter induendum nullas praestitit mutationes; coenatus est, maledixit; meridie apathia, adhuc in illo non animadversa, elucebat; nil enim salinm auditum erat Pulsus 106—110, temperatura aucta, vespere exacerbatio febris; sudor profusus; aegrotus nil vult frui. Suderes per totam noctem; postero die (7. Apr.) aegrotus palpebris conclusis, sudore undique lateque perfuso strepitans cernebatur; pulsus 120—130; interdum aperit oculos, nil loquens; dentibus vapulat, orem contrahit, quasi in frigore brachia supra pectus concludit, pedes intendit in lectus parietes; nonnulla momenta post haec symptomata cedunt. Die 8 usque ad tertiam horam meridiei ferme liber fibris, tum exacerbatio, quinta hora mors.

Sectio 42 horas p. mortem. Fornix cranii haud crassata, in diploe compacta massa ossis; dura mater afficta valde in fornice, talique consistentia, ut magno labore dissecabilis sit. Dura matre aperta multae unciae puri sed rubri effluunt seri. Sinus longit udinalis vacuus sanguine. Cerebro e cranio remoto fossae cranii ut canalis cervicalis eodem sero sunt impletae.

Arachnoidea per ambas hemisphaeras turbata. Vasa meningium sanguine impleta, imprimis in posteriore haemisphaerarum parte. Conantibus meninges a cortice removere, substantia cinerea atque planum convexum lobi anterioris tam valide conjuncta cum dura matre atque emollita, ut superficies cerebri non laevi remaneat, sed undique ubi substantiam perdidit, serum rubrum colligat-cultre omnis substantia cinerea, quae pallidior est, dirodi potest, ita ut pulsum reddat. Disjunctio in albas partes, quac albis lineis inter se disjunguntur, in medio et anteriore lobo non est de-

marcata, in posteriore parte elucens. Ventriculi majores, in unoquoque uncia fere dimidia illius seri puri Plexus chorioidei valde prominentes atque hydatiditibus ornati. Ganglia magna cerebri valida, cornu posterius vacat.

Diagnosis.

Quis enim est quin ex illis tres casibus ac symptomatibus ex concursu atque residuis pathologicis atque residuis pathologicis diagnoscat dementiam paraliticam veterum paralysin universam progressivam nonnullorum coaetaneorum, paralysin vesanorum ab Ill. Neumanno hic appellatam Auctoris hujus libelli esse videtur demonstrare tres illos casus convertire in omnibus fere rebus, nisi eximas individualitates, et inter se et illi imagini conscripto ab Ill. Neumanno*) Quodattinet duo genera symptomatam psychicorum et corporis haecce comparandis tribus casibus intelligi possunt; quod ad cerebri mutationes in cadavere perspicuas cerebri ejusque velamentorum illud elucebit, postquam anomaliae nonnullae, quae pro dignitate graviores videatur, in exemplis illis tribus allatis, ad unum progressum pathologicum omnibus communem relatae sunt.

Quod ad phychicas perturbationes, una imprimis est copia quae in stadio primitivo morbi tenet principatum et ut dicam characteristica. Est autem eadem, quae totum concursum morbi comitatur, stadio acerbiori. Fieri non potest, ut symptomatum haecce series elucentius atque praegnantius declaretur, quam ab Ill. Neumanne in capite illo operis duobus periodis duabus descripta est. Usque adocum redire de-

*) cf. Neumanns Lehrbuch der Psychatte. Erlangen 1859. § 215—119.

beamus explicaturi ingenuosam methodam Ill. Neumanni symptomatum ad originem redigendorum; abstineamus quominus praedicemus ab hoc ingenioso naturae observatore originem anomaliarum in vesanis paralyticis psychologice declaratam esse. Nobis satis sit, ut hic repetamus symptomata, ab illo repicta, illius seriei.

Quibus rebus factis haud erit difficile, investigari hancce symptomatum seriem ex unoquoque nostrum casuum.

Morbus elucet eo, quod aegrotus omnia cogitat, quod vult vel vice versa id vult, quod cogitat. Haecce sunt illae duae theses Ill. Neumanni, quas hic sumus paullulum interpretaturi. Quod attinet thesem primam, nobis docet ab unaquaque in aegroti animo existente imaginatione cupiditatem effici ita ut nunc imaginationem ut ita dicam hancce rem cogitatam mutaret in rem re vera existentem. Quod autem mentis atque judicii vires minutae sint, imaginationis complexes regatur halucinationibus, atque aegrotus nesciat utrum sint possibiles necce voluntates, qualesque sunt in futuro, non est mirandum, quod voluntates sunt insanae et inconstantes atque quod iis resistere nequit. Liber omnia sua negligit, quod ejus fuit occupationis, quod ei carum et cordi, ut animum replentia efficat. Prohibitus, quominus faciat, affectus internus major fit, qui voluntates semper comitatur usque ad maniam. Novae insinuationes evocant novae series associationum; hac quidem extinguunt voluntates eum ireplentes, sed ea de causa, ut novas revocent.

Altera thesis vult perscrutare animi statum, qui non simul cum primo oritur sed paullo post. Etiam nunc aegrotus vult omnia, quae includit concursus imaginationum mutabilis; omnia cupido, vix exorta, statim reficitus, nam aegrotus nunc id quod inest concursi imaginationum verum habet existens, ita ut tan-

quum nil ei superest quod cupiat. Nunc quoque, etiam majore gradu quam antea, sententiarum series solis associationibus regitur, quum series numerorum in animo leges associationum sequuntur, quod res enim minor majores in animum revocat, aegrotus, quum fictas res qualitative distinguere inceperit, mox ad infinitum atque giganteum procedere debet. Haecce monomania quod Galli vocant „de grandeur."

Altera ad dementiam paralyticam attingens series symptomatum se vergit ad remissionem animi et judicii. Cogitationis potestas parva; intelligentia abstracta causae et effectus, instrumenti atque finis, dignitatis moralis et immoralis rerum humanarum, disjunctionis inter universum speciale, inter possibile atque impossibile, inter correspondens atque adversi plane extincta ex animo. In postremum morbi stadium tale est, ut aegroto ne formam quidem judicii atque periodi firmam possint reddere.

Elucet, aegrotos nescire quid sibi fit et quid se circumdet, a miseris nec gradum in societate intelligi nec opes, eosdem ad officia efficienda inepta abruptum esse pristinum statum intelligentia et animi ab praesente.

Tertia psychicarum pertubationum series memoriam deletam significat, quae res conjuncta est quam maxime cum duabus symptomatum seriebus supra memoratis atque certe sequitur mutationes cerebri partium. Si has tres series symptomatum et tribus nostris casibus velimus pinguere, id solum nobis repetendum est, quod in uno quoque casu exacte descripsimus. Nullum enim effugere potuit legentem tres illos casus accurate atque diligentia, res illas memoratas se vergi ad maniam superbientem, infirmitatem judicii atque oblivionem.

Primae propositioni Ill. Neumanni est avarus vini ardentis fabricator optimae demonstrationi, qui subito

splendidissimus fit Timon, medicus qui ab aegrotis immensas petit pecuniae summas, idem atque terti casus aegrotus, qui plures voluerunt feminas ducere in matrimonium. Itaque nostram diagnosin hac de re certam habeamus.

Quod attinet ad corporis perturbationes morbi cursum comitantes, certum est, debilitationem esse omnium voluntariorum musculorum, id quidem, quod imprimis producitur ab M. Neumanno, ita est, at mutationis voluntariae tali modo afficiantur, motus reflectorici manent inturbati. Neque omnes motus voluntarii subjecti sunt huic debilitati; non simplices motus ab aegrotis aegre atque opere efficiuntur, immo vero, detrimenta, quae ab aegrotis inter maniam efficiantur, sane significant, in hac paralyseos forma non virium penuriam adesse. In politioribus, complicatioribus motibus, ad quos efficiendos musculorum turma est occupata, in illis ergo aegroti praestant indextritatem, ita ut ultimis vitae diebus infantium instar sunt inopes. Caussa illius debilitationis non est, secundum Ill. Neumannum, in peripherica vel centrali paralysi nervorum motoricorum, quae quidem interdum statum supra commemoratum complicent, nec in anaesthesia cutis, quae res tuto excludi potest, sed in debilitatione sensus musculorum, idest ejus musculorum vis, quae exoritur ex nervis sensibilibus in musculis expansis, ita ut expansionis status animadvertant externis impedimentis.

Ex tribus illis casibus et inter se sentientibus verum elucet series, quae cum evidentia perscrutationis proximae attingunt, id quod nunc descripsimus. In ullo trium casum nec aberat lingua haesitans, tremulans, nec scripta tam permota, ut legi non potuisset, nec infirmus incedendi gradus, nec ad aequilibrium reservandum festinans itaque invalidus incessus, hac indextritas in personae ipsius cura, nec inscitia omnium, quamquam simplicium manus experimentorum.

Quod attinet ad pathologico-anathomica tres sunt substantiae mutationes nobis maximi momenti. Primum vidimus condensatas esse meninges atque lactiforme turbatas; deinde inter se esse concretas et cum substantia corticali, denique colores atque consistentiam magni cerebri esse mutatas. Non minoris est momenti tabescere diploem cranii atque ejus loco massam adesse ossium.

Dura mater cum cranii superficie constanter concreta invenitur apud homines seniores, ita ut in nostro morbo hancce rem esse momenti, refuteamus. De mutationibus arachnoideae, de opalescentia atque de condensatione pauca haec: sunt enim residua, chronicae inflammationis arachnoideae, quibus sit, ut dementia paralytica jure appellata sit meningitis chronica. Quod attinet, quod menniges inter se et cum dura matre sunt concretae atque cum cortice cerbri, quae omnia inflammationes significant omnium meningium et corticis ipsius, solum in duobus casibus posterioribus aderant atque in illo casu secundo inter retrahendam duram matrem magnae rotundae partes arachnoideae atque durae matris esumptae sunt, ita ut iis locis cerebrum apertum fuit; in secundo autem casu et tertio inter redimendam duram matrem substantiae evenerunt detrimenta in cortice. In primo casu nec arachnoidea cum pia, nec haec cum cortice conjuncta. Quod attinet mutationes corticis ipsius, in omnibus tribus casibus mutatio aderat coloris, in duobus posterioribus substantia emollita. Hoc loco praetermittere nolumus cavum cranii opertum esse primo casu multo prius, quam ceteris duobus (I. casu 16, secundo 24, tertio 42 horas post mortem), ita ut duorum casuum posteriorum substantia emollita fortasse haud parva parte tali modo erat mutata, quali in cadavere solet. Qua autem re emolliendum auctum esse phaenomenis cadaverum licet cogitare, non autem, non adfuisse eam in vivo. Quam accipias sententiam, non declarabis, cur

in duobus posterioribus casibus pia mater concreta fuerit cum cortice, non in primo casu. Hocce nos adducit ad id: nobis etiam hoc loco varia inflammationis stadia et exitus sunt ante oculos. Denique hiatus extra normam tribus his casibus repertus sulcorum atque gyrorum atrophiam horum cerebri partium ostendere videtur.

Aetiologia.

Ill. Neumannus caussam esse dementiae paralyticae exhauriendam ex nimio Veneris cultu, contendit. Fieri potuit ut Ill. ille vir statisticis comparationibus casum ab eo ipso atque aliis ei traditorum observationum ad eam sententiam se vergat. Decet igitur, dementiam paralyticam multo crebrius animadverti inter viros quam feminas, (id quod attinet observationes aliorum); suis autem ipsius animadversionibus viri solum ex eo morbo laborant, saepius hoc morbo afficiuntur homines ditiores atque eruditiores, quam qui sunt pauperes, multam corporis laborem perferrunt, simplicem degunt vitam; inter eruditiores, sic docet Ill. Neumannus, relative, ut dicam, sunt plures paralytici, atque plures militum, quam civili ordini inscriptorum, plures caelebum quam matrimonio junctorum, seniorum quam juvenum. Maximi est momenti Ill. Neumanno, quod dementia paralytica virorum solum est. Declarat hoc ex illo, quod functiones sexuales multo magis incedunt in organismum viri quam feminae, quod voluptates, quae conjunguntur cum impulsu sexuali atque coitu, multo sunt acerbiores atque vehementiores virorum quam feminarum, quod porro substantiae desumptus imprimis nerveae, quem sententiae eodem modo quo motus provocant, multo debilitant corpus viri quam feminae; quod productio spermatis non sine magnis organismi desumptibus protrahi potest.

Quod cetera supra statistica attinent, hic quoque concedit crebritas paralyseos simul cum illis conditionibus, quae favent voluptati atque libidini. Nostris tribus casibus tres videmus omnes aetatis processae, tres omnes sunt divites, duo eorum sunt doctissimi, omnes tres valde atque permultum Venerem exercuisse, constat; primus eorum qui, pontifice non praebente, per viginti duos annos connubium iniit cum coqua, talis erat, ut se eodem tempore cum puellis publicis miserandissimis versaretur, alter per longum tempus erat medicus — — theatri, atque dissolutus tertius libidinosus, ita ut satiari non posset in libidines obsequendos per totam vitam.

Epicrisis.

Momentum causale dementiae paralyticae ab Ill Neumanno per exactam rerum naturalium scientiae inductionem detectum est; omnis autem inductio primum hypotheseos includit indolem; nam quod numero casuum propositorum firme valet, in omnes similes casus transfertur. Omnis autem priores casus sequens, quo hypothesem probatam invenimus, efficit, ut hypothesis necessaria fiat atque integra veritas. Auctor hujus opusculi, omnia ab eo memorata, solum hac ratione, aliquantulum habere momenti, credere audet.

Theses.

1) Praeparata chlorii in typho abdominali non, nisi ulcerationibus entericis avertendis, esse momenti contendo.

2) Superficiem ventriculorum cerebri quoque psychicarum functionum esse substratum, nego.

3) Plica polonica dyscrasia.

Vita.

Natus ego sum, Alexander Hertz, vicesimo septimo die mensis Maji anni h. G. quadragesio, Varsaviae, patre Theodoro et a matre Anna, e gente Neumark, quos, ut deos mihi servet, in dies precor atque oro. Fidei sum addictus luthericae auxburgianae. Primis elementis imbutus frequentavi Varsaviae per sex annos Gymnasium philologicum, quod floruit directore doctissime de Kaulbars, imperatoris Russico pristino magistro husarorum. Testimonio maturitatis instructus me contuli, postquam Varsoviae medicinae operam dedi, Vratislaviam, ubi ab Ill. Semisch, t. t. rectore magnifico receptus sum atque apud Decanum Medicorum Ordinis maxime spectabilem Middeldorpf nomen dedi.

Per annum unum audivi Varsaviae viros Ill. Cel. Exp., Alexandrowicz, beat. Lesiński, Neugebauer, Prystański, Werner, Vratislaviae disserentes audivi Ill. Cel. Exp. Aubert, Barkow, Betschler beat. B. Cohn, Förster, W. Freund, Haeser, Heidenhain, Lebert, Lewald, Middeldorpf, Neumann, Voltolini.

In exercitationibus anatomicis Varsaviae Ill. Pilczycki, chemicis Trzebiecki, Vratislaviae in anato micis Ill. Barkow in microscopicis G. Aubert et Heidenhain, in clinico et policlinico medico Ill. Lebert, in clinico et policlinico ophtalmologico

et chirurgico Ill. Middeldorpf, in clinico et policlinico obstetricio et gynaecologico Ill. Betschler, in exercitationibus diagnosticis Exp. beat. Dr. B. Cohn in exercitationibus clinicis et policlinicis Viri Exp. DDr. Caro, Dittmar, W. Freund, Fuhrmann, Reinhardt, Ressel, Reichelt, Schiffer, Sommerbrodt, benignissime me adjuverunt.

Quibus omnibus viris summe venerandis optime de me meritis gratias ago quam maximas. Nunc vero tentamine medico et rigoroso magna cum laude superato, spero fore, ut dissertatione hac thesibusque inscriptis rite defensis summi in medicina atque chirurgia honores in me conferantur.
